

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden.

I. Übersetzung

1 O quam iuvabat, quo nihil maius parens
2 Natura genuit, operis immensi artifex,
3 caelum intueri, solis et cursus sacros
4 mundique motus, noctis alternas vices
5 orbemque Phoebes, astra quam cingunt vaga,
6 lateque fulgens aetheris magni decus;
7 qui si senescit, tantus in caecum chaos
8 casurus iterum, tunc adest mundo dies
9 supremus ille, qui premat genus impium
10 caeli ruina, rursus ut stirpem novam
11 generet renascens melior, ut quondam tulit
12 iuvenis, tenente regna Saturno poli.
13 Tunc illa virgo, numinis magni dea,
14 Iustitia, caelo missa cum sancta Fide
15 terra regebat mitis humanum genus.
16 non bella norant, non tubae fremitus truces,
17 non arma gentes, cingere assuerant suas
18 muris nec urbes: pervium cunctis iter,
19 communis usus omnium rerum fuit;
20 et ipsa Tellus laeta fecundos sinus
21 pandebat ultro, tam piis felix parens
22 et tuta alumni. Alia sed suboles minus
23 conspecta mitis. Tertium sollers genus
24 novas ad artes exstitit, sanctum tamen,
25 mox inquietum quod sequi cursu feras
26 auderet acres, fluctibus tectos gravi
27 extrahere pisces rete vel calamo levi,
28 decipere volucres crate vel valido vagas
29 tenere laqueo, premere subiectos iugo
30 tauros feroces, vomere immunem prius
31 sulcare terram, laesa quae fruges suas
32 interior alte condidit sacro sinu.
33 Sed in parentis viscera intravit suae
34 deterior aetas; eruit ferrum grave
35 aurumque, saevas mox et armavit manus;

36 partita fines regna constituit, novas

Frühjahr 1990

- 2 -

37 extruxit urbes, tecta defendit sua
38 aliena telis aut petit praedae imminens.
39 neglecta terras fugit et mores feros
40 hominum, cruenta caede pollutas manus
41 Astraea virgo, siderum magnum decus.
42 cupido belli crevit atque auri fames
43 totum per orbem, maximum exortum est malum
44 luxuria, pestis blanda, cui vires dedit
45 roburque longum tempus atque error gravis.

II. Sprachliche Erläuterungen

1. Bestimmen und erklären Sie lautgesetzlich die Formen **norant** (v.16) und **assuerant** (v.17)!
2. Bestimmen Sie genau und vollständig die Syntax der Verse 7-12!
3. Bestimmen Sie die Funktion des Konjunktivs **auderet** in v.26!